

π_n
3355



R.K.
400
32.



R.K.
400
32.

II n
3355

*

Q. D. B. V.

DISQVISITIO HISTORICA

De

BELGARDIA

POMERANORUM,

PRÆSIDE

CONRADO SAMUELE

SCHURZFLEISCHIO,

P. P.

INSTITUTA

a

MARTINO Beilfuß /

BELGARDIENSI.

D. XIX. Apr. A. cl^o I^o c^o XXCIV.



WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Academ. Typogr.



2-10



Q. D. B. V.
DISCVRSVS HISTORICA
DE
BELGARDIA
POMERANORVM
PRÆSIDE
CONRADO SAMMELLE
SCHURZELFISCHIO,
P. P.
INSTITVTA

MARTINO BRUNNO
BILGARDIENSI
D. K. M. A. C. K. K. V. N.
VITTIENSI
P. P.

Handwritten notes and a faint circular stamp at the bottom of the page.





I.



Væ sint initia urbium, multi cum labore perquirunt: latè autem patet ista disquisitiono, si vel præcipuas unius regionis urbes complecti cupiamus.

II. Illud quidem omnium antiquitatis peritorum vocibus & literis comprobatum est, in Germania transrhenana, & in ea sigillatim parte, quæ ad oram maris Sævici pertinet, urbes seriùs fuisse conditas, atque ibi nulla, vel exigua cultûs Germanici vestigia ante S. XII. extitisse.

III. Nihilò seciùs reguli illius ad mare Sævicum porrectæ gentis diu post alios Principes clientelam Imperio profesli sunt, atque amplum & opulentum regionis suæ patrimonium, non falsâ officii significatione, & ritu solenni addixerunt, atque in civitatem Germanicam ascripti, fidem & obsequium legibus

A 2 astrin-

astrinxerunt. *Albertus Cranzius lib. VI. Vandal. cap. 14. Nicolaus Leuthingerus Comment. part. IX. Matthæus Dresserus in orat. in solennibus Philippi Julii Ducis Stetini habita, Joannes Micrælius Chron. Pomeran. lib. II. p. 261. Aub. Miræus de stat. relig. Christ. lib. I. cap. 39.*

IV. Ante annum **MCLXXI.** suo nomine & regio jure imperârunt, sed consilio & industriâ Friderici Ænobarbi ad foedus invitati, Henrici Leonis partes deseruerunt, statumq; mutârunt, & principatus nemini obnoxios, Imperatoris beneficio agnoscere cœperunt. Affirmat *monachus Lauterbergensis*, Pomeranos, Henrico Guelpho societate conjunctos, in finitimam usq; oram excursions fecisse, & Juterboco crudeliter direpto, magnam hominum manum abduxisse, *Chron. an. MCLXXIX.*

V. Facile tamen largiar, etiam ante Ænobarbum, Imperatores interdum comiter habitos, seu famâ, seu veneratione augusti nominis, quæ ferocissimos sæpe populos inflexit. Hinc in vita Ottonis Babenbergensis legamus, quod

quod VVartislaus Lotharium appellârit *domi-*
num suum, lib. III. cap. 6. Quorsum spectat,
quod tradit Otto Frisingensis, Ducem Poloniæ
a Lothario II. Imp. ad clientelam nomine Po-
meraniæ profitendam fuisse adactum, *Chron.*
lib. VII. cap. 19. Sed non definit, Pomeraniam
universam, an partem Germaniæ propiorem
intelligat, quæ citerior nominatur. Ea enim
cum Sedino, ulterioris Pomeraniæ urbe citiùs
in ordinem societatemq; regni Germanici est
recepta, *apud Dresserum c. l.*

VI. Nihil verò rationibus imperii regii
Principum Pomeraniæ officiebat, etiamsi Po-
lonis se conjunxerant, quod salvo regendi jure
fecisse intelliguntur. Ex hoc capite bella ad-
versus Polonos gesta sunt, quibus magnam æ-
tatis partem consumsit Suantepolcus, & jura
gentis suæ, ac Pomeraniam ulteriorem fortiter
defendit, quæ tunc libera suiq; juris manebat,
cum Casimirus & Bogislaus suos citerioresq;
principatus lege beneficiariâ reddendos Fride-
rico Ænobarbo offerrent. Digna hic lectu
est *genealogia Valentini Eichstedii*, accurate di-

ligenterq̄ve' confecta , quæ extat in *Vandalia Davidis Cbytrai*, unde cum deductæ a Suan-
tiboro propagines , tum earum distinctæ suc-
cessiones, principatusq̄; diversi perspiciuntur.

VII. Hinc ratio causaq̄; repeti potest, quamobrem aliquot Pomeranorum familiae e-
questres, diu abstinuerint ritu solenniū, quæ
in beneficiariis prædiorum concessionibus jure
alioq̄vi Langobardico requiruntur, acrite per-
aguntur. Nam sine dubio hoc insigne lucu-
lentumq̄ve antiquissimi generis indicium est,
nec obscure confirmat, has tales familias belli
artibus deditas, bona possessionesq̄; a Venedis
strenuè & acriter vindicasse. Documento est
incluta *Borkiorum* Equitum prosapia, quæ ma-
gno & memorabili temporis intervallo prædia
sua sine ritu beneficiarii juris tenuit, atq̄ve ad
posterios titulo hereditario transmisit. *V. Mi-
crælius Chron. Pom. lib. III. p. 344. & lib. VI.
p. 451.* Qua de causa singularem feudorum Po-
meraniæ indolem agnoscunt jurisperiti omnes,
*Chemnitius, Mevius, & Brunnemannus, &
notissimè Strykius in exercit. de feudis Pome-
ran.*

van. cap. I. Pristina tamen hæc conditio postea sensim desiit & mutata est, pleraque autem non merâ lege beneficiariâ, sed mixtâ quâdam ratione censerî cœperunt, quæ nihil vetat, quominus *feuda hereditaria mixta* appellentur.

VIII. Omnino igitur ultimis Pomeranorum temporibus prædia gentilia dynastarum & equitum a nexu beneficiario libera fuerunt, paulatimque, adscriptis imperio Casimiro & Bogislao ducibus, alia citius, alia serius a pristina, eaq; hereditaria conditione recedere cœperunt. Principes in regia libertate perstitisse, manifestum est, & palam liquet, ante Fredericum I. Hohenstauffium neminem eorum in numerum Imperii ducum fuisse relatum. Etenim iudicio sapientum, & indubitatis historiæ argumentis recentior est constitutio, quæ de ludis equestribus circumfertur, nec scio, an vanius ullum absurdiusque commentum afferri possit. Fallunt admodum, aut fallentes incaute sequuntur, qui existimant, Vratislaum, Ducem Pomeraniæ, interfuisse conventui A. DCCCCXXXVIII. habito, quo leges ludorum

rum

rum equeſtrium ſancitæ perhibentur. Non
congruunt temporum rationes, & repugnant
ſtylus, titulusq; Ducis Pomeraniæ tunc non-
dum receptus, quem primi omnium Caſimi-
rus & Bogiſlaus obtinuerunt. Vratiſlaus I.
hujus nominis, idemq; veris monumentis co-
gnitus a ſeculo Henrici Aucupis longiſimè ab-
eſt, nec Pomeraniæ, ſed *Slavorum Princeps*
nominatur. Vratiſlaus II. remotior eſt, tem-
pori minùs convenit atqve adeò conjecturâ
non inani ducitur, quivivis putat, *Sec. XII.*
eam de *torneamentis* conſtitutionem ſub Hen-
rici Aucupis nomine eſſe conſictam, quæ extat
apud Melchiorum Goldaſtum Conſt. Imperial.
tom. I. an. 938.

IX. Simulatq; autem hi Duces ſuper-
ſtitioni & impietati nuncium remiſerunt, pari
liberalitate & auctoritate ad hanc maximè ar-
duam rem aggreſſi ſunt, atqve ad inſtituenda
ſacerdotia, & condendam Antiftitis ſedem ani-
mos converterunt. Inter quos Vratiſlaus I.
a cultu idoiorum revocatus eſt hortatu Otto-
nis Babenbergensis, qui diligenter has partes
egit

egit, nihilq; inexpertum omisit, ut negotium inceptu difficile, & exitu anceps, nec minus cum suo periculo conjunctum susciperet. Nam & prudenter, annitente Poloniae Duce, conciliavit duros obstinatosq; homines, & cautam persuadendi rationem adhibuit, & populum, inprimis vitam moresqve æstimantem, decorâ liberalitate atqve innocentia ita sibi devinxit, ut nihil quidem culpæ ei dari posset. *Vita Ottonis Pomeraniae Apostoli lib. III. cap. 23. Et historia anonymi lib. II. cap. 7. II. itemq; epitome de vita Ottonis p. 366. editionis Jäschiane. Helmoldus lib. I. cap. 40. Chron. Slavor.*

X. Primum Antistitis Pomeraniae domicilium a Vratislao I. Julini constitutum est, quæ urbs hunc opulenta, & commerciis frequens, & navigantibus mare Svevicum opportuna erat, maximeqve florebat. *Adamus Bremensis lib. II. cap. 12. H. E. collato Helmoldo lib. I. cap. 2. Historia vite Ottonis ab anonymo scripta lib. II. cap. 26. H. Conringius de urbibus Germanicis tb. LXXXVI. Vinnetam alio nomine dictam putat.*

B

XI. In-

XI. Inde sedes auspicio Casimiri aliorum delata, & amplioris incrementi causa in oppido Caminensi collocata est, nec minus Principum beneficio, quam jurisdictione & imperio contineri coepit. *Michaelius Chron. lib. V. p. 225.* Quæ mutatio Pont. Rom. assensu peracta est, quorum spectant confirmationis tabulæ, quas adscribere non pigendæ nunc operæ videatur. *Clemens* (hujus nominis III.) *Episcopus Romanus, servus servorum Dei, venerabili fratri, Sigefrido Caminensi Episcopo salutem.* Statuimus, cum civitas, quæ *VVollin* (*Julin.*) dicitur, in qua sedes episcopalis esse solebat, propter guerrarum incommoda, deserta esse proponatur, ut hæc ipsis sedes sit in posterum in ecclesia sancti *Johannis Baptiste*, apud civitatem *Caminensem*, quæ populosior est, & securior habetur. Datum *Laterani* per manum *Moyse*, *Lateranensis Canonici*, vicem agentis *Cancellarii*, *VI. Cal. Maji* anno Christi millesimo centesimo octuagesimo octavo: Pontificatus nostri primo. Rationes temporum actorum vé bellè conveniunt, & expeditio *Danica* Valde

demari I. apertè notatur, quæ cum transferen-
dæ sedi, tum evertendæ urbi Julinensi occasio-
nem causamq; dedit. *V. Daniel Cramerus hist.*
eccles. Pomeran. lib. 1. cap. 37. Aliqua hic ob-
servanda, 1. Julinum & VVollinum quibusdam
præsertim recentioribus, unum & idem videri,
quibus diploma Clementis congruit. 2. a Julio
Cæsare originem Julini repeti, eamque ad sen-
tentiam ab auctore vitæ Ottonis Babenber-
gensis accommodari, quod lancea illius colum-
næ miræ cuidam magnitudinis infixæ, diu ibi
asservata fuerit. Sed hęc indicio fabula se pro-
dit, quandoquidem Romani non lanceas, sed
hastas staturam hominis haud multum exce-
dentes habuerunt, nec terrâ mariq; in oras illas
Cæsaris arma signaq; pervenerunt. 3. distingvi
oportere tempora, *fundationis* episcopatus Ju-
linensis, atque ejus *translationis* & confirma-
tionis. 4. eum nulli unquam metropoli sive in
Germania, sive in Polonia, sive in Dania fuisse
obnoxium. Rugia ceteroquin excipienda est,
quæ Rotschildensem Danorum præfulem a-
gnovit, *Pontanus hist. Dan. lib. VI. Cramerus*

*lib. 1. cap. 41. 5. Ottonem religionis Christiana-
nae causa bis in Pomeraniam demigrasse, & pri-
mò Calixti II. ac deinde Honorii II. Pont. Rom.
auctoritate hanc insignem arduamq; Pomera-
niae Apostolatûs provinciam suscepisse. Ubi
bene & appositè conciliare licet scriptorem vi-
tæ Ottonis, & Conradum Urspergensem. Quid
vid. Caesar. Baronius annal. Eccles. XII. an.
1124. 6. Episcopatum Julini & institutum, &
decimis redivibusq; sacris auctum fuisse bene-
ficio Principum, priusquam Imperio fidem no-
mine ducum clientelarium obligarent. Hinc
nemo ad eam dignitatem nisi voluntate & as-
sensu Ducum ascitus electusque est, quod præ-
ter historiarum monumenta, *Actus eximius
Matthias Stephani* luculenter probavit. Conf.
Dan. Cramerus *lib. 1. cap. 37.* Micrælius, & a-
cta publica, quorum partem attigit *David Chy-
træus in Saxonia p. 9.* Recentiora, quæ pro-
mulgato restitutionis edicto, disceptata sunt,
nunc omitto. 7. A tempore Sigefridi, ad quem
literæ Clementis III. allatæ sunt, Antistites con-
tinuatâ serie Caminenses nominantur, sed po-
stea*

Ita insignis mutatio accidit, præsertim cum ritus Pontificii in Pomerania exolescerent & abrogarentur. Quid de eo novo jure constitutum fuerit, ex sanctione Vestphalica constat, *art. X. §. quicquid art. XI. §. teneatur*, & novissimè lucem accipit ex *recessu Stetinensi A. MDC LIII. inito, §. 22. & 24. apud Mich. Casp. Lundorpium act. publ. cont. lib. IX. p. 851. seqq.* Quamvis posthac aliquæ conditiones alteri transigentium parti duriores visæ fuerint, quod aliorum spectat, nec privatim definiri potest. 8. Nunquam verò iste episcopus jus dignitatemque Principis imperii obtinuit, neque in comitiis suffragium tulit, & jure *fundationis, donationis & dotationis* semper Ducibus Pomeraniæ, tanquam tractus illius & *territorii dominis* subjectus fuit. Tantùm addo de Ottonne Babenbergensi, cum a Clemente III. in divos relatum, diploma *canonizationis* extat apud *Baronium annal. Eccles. tom. XII. ad an. 1189.* Neque hujus instituti est de illius ævi, & sigillatim de curiæ Clementinæ stylo commentari, nec est, cur vocabulum *guerrarum* fortè

B 3

le-

legentem offendat, quippe quod seculo inprimis XIII. XIV. & XV. pragmatico scribendi usu receptum est, & in tabulis Sigismundi Lutzburgici sæpe reperitur. Hoc modo in diplomate Constantiensi Ao. M CCCC XV. dato, *guerrarum* dispendia, quæ hic *guerrarum* incommoda, appellantur.

XII. Sub idem tempus, quo Pomerniæ ad Christum patefactus est, *Belgradia* monumentis celebratur, ac in fastis nostræ gentis, & Polonorum annalibus crebrò memoratur. *Anonymus vitæ Ottonis epitomator* eam literis consignavit, & vel inprimis hoc laudi dedit, quod non difficilem se ad amplectenda Christi sacra præbuisset. Neq; eo secius Otto Babenbergensis auspicato ad oppidum accessu, animos civium pietate & exemplo suo ad verum DEI amorem cultumq; accendit. Alius vitæ Ottonis scriptor *Belgradiam* nuncupat, & studio ac diligentia Episcopi incitatam, magno doctrinæ cælestis desiderio flagrasse affirmat. *Belgradiam*, inquit, *petens, simili operum effectu illic latificatus est,*
omni-

omnibus se Domino sponte applicantibus, cap.
XXXVII. Nec multò post idem tradit, apud
Belgradiam muneris sacri terminum statuisse,
idem cap. XXXVIII. Quod nomen a Venedis
inditum est, qui Svevos Cisbalthianæ Pomeraniae
Aborigines exceperunt, atque has oras longè
lateq; impleverunt. Non accuratè æsti-
mant, sed ex ingenio comminiscuntur origi-
nem, qui aliunde repetant, & sive Latinis, sive
Teutonibus, primordia adscribunt. Multo
minus deduci potest a monte Bellicardo, in ve-
teris Germanorum Burgundiæ fines descripto,
cujus Comes Theodericus infelices cessionis
Henrici V. tabulas subscriptione firmavit, apud
Vilhelmum Hedam in hist. Ultraject. p. 155.
Nihilo rectius ab idolo Beli arcesitur, cujus sta-
tuam ibi cultam esse, nulli Pomeranorum an-
nales tradunt. Imago Trigelavi, Numinis
impii nota est, passimq; memoratur. V. post
Andream vite Ottonis scriptorem, Elias Sche-
dius de DLS Germanis Syngram. III. cap. 10.
Sed Geroviti, a quo militiæ auspicia petebant,
non meminit, de quo legere est Andreanos fa-
stos,

stos, *lib. III. cap. 3. & 9.* Uterque Slavorum & Venedorum idolis annumeratur, Schedius autem Vandalos a Venedis non distingvit, ut par est, neque cum cura semper origines ultimas scrutatur. Gerovitus idem est, qui aliis Herovitus, bella regere creditus, & à Germanis etiam nomine Martis cultus, victimisq; placatus, *Cæsar B. G. VI. 19. Tacitus M. G. IX. 1. conf. scriptor vitæ Ottonis anonymus lib. III. cap. 5.* Ne quid nunc de hasta Julii Cæsaris afferam, quam Pomerani opinione & superstitione decepti, ritu sacro cohonestandam putarunt, eaque de causa Julinenses ab Antistite Francorum reprehensi, atque ad meliorem Dei cultum instituti fuerunt, id quod in *Ottonis vitæ ab anonymo descriptæ epitome* licet repetire, *p. 379.*

XIII. Non hic laboro de fabulis, & ingenii lusibus, quorum plenæ sunt vulgares urbium descriptiones, quas tituli & imagines plerunque venales reddunt, speciosisq; at re inanibus elogiis commendant. Primus, quod sciam, *Andreas Babenbergæ Abbas, Belgroen-*
sem,

sem urbem veris atque incorruptis etiam monumentis mandavit, quam *VVinedi Bialogrod*, vel compendio loquendi, & contracto literarum ambitu *Belgrod* pronunciarunt. In qua sententia scriptoris anonymi rerumque consensus, & itinerum Ottonis congruens & apta commemoratio, atque alia non obscura indicia me confirmant. Verba scriptoris audiamus. *Sed peractis* inquit, *omnibus Belgroensem urbem* petiit, deinde *Colobregam*, quam hodie *Colbergam* nominamus. Loquitur de Ottone Episcopo, & aditum ad Pomeranorum urbes; operamque docendi causa navatam describit, ordinemque adventus, salvis ceteroquin historiae legibus, nonnihil mutat, & scitâ Latini sermonis imitatione *Belgradiam* nominat, quam sequiores *svavitati aurium* dantes *Belgardiam* appellarunt. Etiamnum *Stargardia* simile aliquid ostendit & servat, idoneumque & ad hanc sanè causam accommodatum quoque argumentum præbet. Nam ea quidem instituto & more Slavorum dicta est, *Zitargrod*, deinde ascitâ Latinorum *terminatione*

G

Zita-

Zitarigroda, sive ut alii legunt. *Zitarigroda*,
ac postea Stargardia nuncupari cœpit. Ean-
dem nominis vicissitudinem experta est Bel-
gardia, urbs ulterioris Pomeraniæ perantiqua,
& illâ ætate secundum Vinetam Julinumque
cultu & habitantium frequentiam maximè insi-
gnis, cujus cives ab humanitate pariter ac for-
titudine jam a multis inde seculis commen-
dantur.

XIV. Multis autem gravibusque peri-
culis urbs defuncta est, nec ambigua fide Prin-
cipes suos coluit, & Polonis arma inferenti-
bus animosè restitit, magnumque decus ex
constantia reportavit. Quod sæpe explora-
tum est, præsertim cum mœnia & muros, ab
impetu hostium defenderet, nec tædio quie-
tis, sed amore libertatis res opesque suas tue-
retur. Narrant scriptores Polonici, Bialo-
grodenses animo & audaciâ ceteris præstitisse,
& cum vastato passim agro, multi fortunæ ce-
dendum putarent, eos nihil minùs, quàm de-
ditionem pacisci voluisse. Sed tandem fati
necessitas ipsos a proposito avertit, & certa-
men

men potius, quàm gloriam finivit, cum Boleslaus III. difficultatis periculiqve sui non immeritor, urbem vi captam diriperet, mox autem cives clementiam poscentes benignè acciperet, & parcendo, virtutem approbaret. *V. post Duglossum Martinus Cromerus de rebus gestis Polon. lib. V. Salomon Neugebauer hist. Polon. lib. III. Joachimus Pastorius Flor. Polon. lib. II. cap. 6. in Boleslao Crivousto.* Hic rerum exitus tunc fuit, cum impia oracula consulerent, malisqve his admonerentur, ut ne suorum præsidio Numinum se defenderent, sed ope & auxilio firmiore niterentur. Neqve aliter evenit, quando ex eo tempore, ut *Duglossus* auctor est, sensim mitioribus vivere legibus, & suscepto postea Christi fœdere, piis & salutaribus institutis assuescere cœperunt.

XV. Jamqve urbs longo temporis spatio condita, numero & robore civium, veteriqve militiæ disciplinâ steterat, cum vicinos ad populandum effusos agro prohiberet, aliisque resistendi exemplum, & defendendi inci-

tamentum occasionemque daret. Saxones
Danicque ad prædas egressi, non inermem ur-
bis populum experti sunt, maximè Poloni sub
Boleslai signis, ingens bellum exorsi, præter
ceteros Scarbimirus belli præfectus, & juncti
ordinum agminumque ductores, usu cogno-
verunt. Equidem vici & oppida quædam
ignobilia, præsidio nudata facile hosti cessere:
sed plus laboris erat, cum Belgardia laceffere-
tur, cujus obsidio non parvi impendii, & ex-
pugnatio non sine discrimine fuit. *Matthias
de Michovia lib. III. cap. 7.*

XVI. Quare adducor, ut credam, il-
lam ipsam urbem seculo, quod fuit a Christo
nato undecimum, commerciis excultam, mu-
roque circumdatam fuisse. Nam uno alte-
roque anno non excitantur simul & perficiun-
tur magnæ ac populosæ urbes, quibus Belgar-
dia adscripta est, cum Boleslaus III. Poloniam
regeret, & oppugnandi causa fines Pomeraniæ
intraret. Id verò rerum temporumque con-
sensu ostenditur, initium tunc fuisse seculi XII.
Christiani, quo isthæc urbs mercatoribus adi-
ta,

ta, & viris opibusque valida, atque omnium rerum copiâ & commerciis nobilitata, mœnibusque cincta, ac deinde a Boleslao lacescita, & post multos labores & pericula tandem occupata memoratur. Quod non dubito, quin ad confirmandam hanc sententiam adferri possit, vel eo probabilis conjecturæ argumento, quod insigne aliquod temporis intervallum ad tanta urbis incrementa requiratur. Ominò igitur primordia hæc altiùs, quam a XII. seculo repetenda sunt, & indicia certè suppetunt, jamdiu ante Saxonum adventum Venedos, & sigillatim Julinenses, & Belgardienfes, navigato mari Svevico, mercaturas fecisse, situsque opportunitate alios, & præsertim oræ maritimæ accolæ ad se allexisse. Vestigia quoque structuræ veteris haud obscura se offerunt, & murus, quo oppidum circumdatur, antiquitatem tuetur. Superiori tempore, cum hostes de Pomerania obtinenda certarent, jam Cæsarei, jam Svedi firmitate mœnium, & situs commoditate invitati, sedem ibi deligere voluerunt.

XVII. Nec verò ignorarunt Bogislaus IV. & Otto I. citerioris Pomeraniæ Duces, quantum in ea urbe situm esset, qui hanc inprimis curam cogitationemque susceperunt, ut mortuo sine liberis Mestuiuo, quem alii Mesciugum vocant, Belgardiam cum Pomerania ulteriori Polonis attributam repeterent, & missâ legatione, jus ad stirpem suam pertinens, & pacta de successione utrinque facta evidenter demonstrarent. Spe frustrati, solenniter obnunciârunt, contractisque copiis, rempublicam tutati sunt, non accepturi conditiones pacis, nisi Belgardia, totusque ille tractus restituerentur. Nec multò post Bogislaus, conferto prælio, Polonos vicit, & urbem, cum universa regione, sanguinis titulo ad se devolutam, jure belli recepit, ac præsidio firmavit. Per id tempus summam rerum tenebat in Polonia Vladislaus Locticus, Premislao II. quem Mestovvinus successorem appellaverat, surrogatus, belloque Marchico distractus, qui rerum necessitate admonitus, jure suo cessit, pacemque pactus, omnia quæcunque contra succes-

XIVX

ces-

cessionis leges, contraque conventorum fi-
dem acta fuerant, irrita declaravit. *Jo. Micre-
lius Chr. lib. II. p. 288. seq.* Tria hic observanda
veniunt I. Injusta Mestovvini ab alienatio, quæ
agnatis ab unô stipite descendentes fraudi
esse non potuit, & publicâ solenni que contra-
dictione oppugnata & rejecta, ac tandem re-
scissa est. II. Juris agnatione suffulti, ex belli &
cessionis capite, luculenta & memorabilis con-
firmatio. III. Belgardiæ & ulterioris Pomera-
niæ tunc pleno jure Imperio innexæ ratio, au-
spiciis Germanicis constituta. IV. Novitituli,
novæque propaginis origo, quòd Otto I. Bo-
gislai IV. frater, primus, ex illa gente titulum
Domini Stetiniensis sumsit, sibi que adscripsit,
lineamque diversam principatus Stetiniensis
nomine posthac insignitam condidit ac firma-
vit. *Paulus Friedeborn Stetiniens. rerum lib. I.
p. 44.*

XVIII. De hinc amœnitas loci, & fides
civium, & cura tuendorum ex propinquo fini-
um induxit Vartislaum IV. ut ne longius ab
urbe recederet, atque aulæ sedem eò transfer-
ret.

ret. Nam crebra tunc bella exorta sunt, nec
minùs Poloni, quàm Cruciferi & Marchici, suo
quisque apparatu, metum intulerunt. Mini-
mè autem Vratislaus IV. inutilem hanc ope-
ram sumfit, quum occupatam a Cruciferis Bel-
gardiam, cum reliquis oppidis pagisque, rursus
in ditionem redegit, & relictum sine herede
Rugiæ principatum, ex superiori successione
pacto adeptus, potentiam suam hujus accessio-
ne insulæ amplificavit. V. *Eickstadiani anna-
les, Micraelius, & chronica antiqua*. Non ac-
curatè tradit auctor novæ descriptionis Duca-
tus Pomeranici, insulam beneficio hereditatis
ad Vartislaum accessisse, cum conventio mu-
tua de succedendo causa acqvirendi fuerit,
quippe quæ non jure stirpis constabat, nec titu-
lo hereditatis testamento, sive ab intestato ad
descendentes delatæ, sed mero pacto utrinque
inito nitebatur, *Martinus Zeillerus p. 589. &
idem itinerat. Continuat. cap. XVII. p. 201*. Nec
melius existimat Jo. 15. Pontanus, insignem il-
lam fertilemqve insulam ab Erico I. VVartislai
VII. filio Daniæ subtractam, quod tamen mul-
tò

tò priùs contigit, & vel argumento fœderis pa-
ctiqve de successione diu ante facti confirma-
tur. *Rer. Dan. lib. IX.*

XVIII. Si quando Pomeranorum Du-
ces inter se regiones partiti sunt, ut olim fre-
quenti & pernicioso exemplo partiri solebant,
Bergardiæ honori datum est, ut inter urbes ali-
as, easqve jure comitiorum provincialium in-
signes referretur. Tabulæ & pacta divisionum
inter Vartislaum Bogislaumqve hujus nominis
VI.^{os}, atqve inter eorum patrum Bogislaum
V. supersunt, in quibus Belgardia memoratur,
singularisqve constantiæ, nec simulati erga
Principes obsequii laudem habet. Hinc V Vol-
demaro Marchione extincto, Bogislaum du-
cem, redintegrando ulterioris Pomeraniæ prin-
cipatui intentum, eximiâ charitate, & fide egre-
giâ recepit. *Leuthing. comment. c. l. suffragan-
tur Prusfici Marchiciqve annales.*

XX. Multas quidem tulit calamitates &
casus, sed nullo errore ad contumaciam adver-
sus indigenas Principes abrepta est, primaqve e-
jus diligentia semper enituit, si patriæ salus, &

D

Prin-

Principum fortuna atque conditio postulare.
Quare ad conventum ab Erico II. indictum ce-
leriter delegatos misit, & distractis reipublicæ
rationibus, ad eam societatem se applicavit,
quæ jura Principum, & commoda gentis hone-
stis æquisque consiliis tuebatur. Cum verò
propinqui de hereditariis portionibus conten-
derent, res arbitrio permessa, & prudenter trans-
acta est, magno præsertim illius urbis emolu-
mento. *Micrælius lib. III. p. 404.* Aliquando ta-
men, & præsertim recentioribus bellis, cessit ne-
cessitati temporum, & perpessa est crebrò diffi-
cultates, quas mutare non potuit, cum nulla re-
sistendi facultas esset.

XXI. Inter has rerum vices, urbs semper
patrimonio Ducum servata, nec unquam sacro
ordini sacerdotioque præsulum attributa ascri-
ptaque est, quod sine ratione factum existimare
non licet, & propensæ Ducum voluntatis si-
gnum auctoramentumque censetur. At hoc
præsidio non potuit lenire fortunam tempo-
rum, eamque cum aliis urbibus communem
habuit, & bellis afflictæ, ægrè tot impendia &
damna

damna sarcivit. Quibus malis accessit nova
& foeda calamitas, quæ Belgardiæ ædes, coorto
aliquoties incendio delevit, & pristinum flo-
rentemque statum insigniter mutavit. Magno
cum luctu recordor annorum & mensium, ple-
rumque urbi isti fatalium, qui in commentari-
os relati, tristi ad recordationem exemplo me-
morantur. Etenim anno MDVI. pridie No-
narum Maji, die in fastis Joanni sacro, urbs to-
ta funesto igni vastata est, & curia templumque
unà conflagrârunt. Mox ædes rursus extructæ
sunt, sed non in eam formam amplitudinemque
creverunt, ut pristinum splendorem exæqua-
rent. Plus temporis in templo reædificando
consumtum est, eique turris deinde imposita,
& anno MDXVII. est perfecta. Quæ aliquoties
fulmine tacta, & anno MDLXII. instaurata, ac
nostrâ memoriâ iterum, & sigillatim anno M
DC LXIV. fulminis ictu percussa est, cujus
mentionem hic faciendam duxi, quia ibi asser-
vantur inscriptiones, quæ ad notitiam superio-
rum temporum, & morem opinionemque prio-
ris seculi non nihil conferunt, quarum exempla

D 2

nobis



nobis reddenda curavit *M. Jacobus Beilfus*, vir dignitate & doctrinâ eximius, & sacris Belgardienfibus præfectus.

XXII. Rebus paulùm reſectis, Belgardia opes ſubinde attritas, incendiisqve conſumptas paulatim colligebat, & Pomerania pace atqve commerciis florebat, donec turbidis quorundam conſiliis Germania perturbaretur. Quibus modis ſubinde expilata, & crudeliter direpta, ac ſancitâ *bonorum Eccleſiaſticorum* reſtiture tantùm non in ſervitutem addicta eſt, cum de ſacrorum imperio & libertate ſic dimoveri ſe animadverterent Duces. Idcirco juris rationibus cauſam tutati ſunt, & ampliffimum Caminenſe ſacerdotium, Antiftitis dignitate tituloqve auctum ab majoribus inſtitutum, & beneficiis poſſeſſionibusqve donatum ſemper in ditione & poteſtate ſuâ fuiſſe confirmârunt. Sed votis meritisq; ipſorum non reſpondit fortuna, & ab anno inde MDC XXVII. regio illa ſitu & naturâ loci egregia, magnum diſcrimen adit, & diu multumqve afflicta ac vaſtata eſt, atqve id inter cetera Pomeraniæ oppida Belgardiæ

diæ evenit. Nimis longum sit referre vicissitudines, quas experta est, cum transitus expeditionesque militares versus Pomeraniam susciperentur. Ibi enim in ipsis belli Germanici initiis hospitia militibus assignata, & exactiones imperatæ sunt, & eo præsertim tempore, quo Cæsarei & Svedi res spesque suas variæ bellorum fortunæ committebant. Sæpe huc exercitus trajecti, ne hostibus receptaculum esset: nec integrum liberumque erat resistere necessitati, cum Banerius & Krockovius in hanc finitimamque oram adventarent. Non vacat revocare animum ad calamitatum omnium memoriam, nec spatio annorum separabo res gestas, sæpeque bello & pace conversas, quanquam eæ, si proxima tempora respicio, potissimum annis MDCXXVII. MDCXXXVII. MDCXXXVIII. MDCXLIII, & MDCXLVIII. insigniuntur.

XXIII. Controversiis, quæ ad religionem libertatemque spectabant, pace Vestphalicâ confectis, urbs Belgardiensis sub auspicio & tutela Brandenburgica colligendi se spatium ha-

D 3

buit

buit, sed aliquanto post majori discrimini servata est, multasque sustinuit calamitates. Incendio ter foedata, anno M DC LXIV. turrim fulmine incensam non sine dolore gemituque vidit: quæ res in omen accepta, futura quædam mala prænunciavit, eventusque demùm comprobavit. Nam præter incommoda, ab advenientibus Svedorum manipulis accepta, duodecimo abhinc anno, qui fuit M DC LXXVI. coorto nocte incendio, tertia pars urbis consumpta est: Mox insequenti anno M DC LXXVII. quod erat reliquum, cum templo & curiâ, integris duntaxat Icholæ domiciliis, misero & funesto urbis spectaculo deflagavit. Quare post magnas istas luctuosasque Belgardicæ inclinationes, cura indulgentissimi Electoris Brandenburgici animam subiit, ut existimaret, unam tot malis medendi superesse rationem, si oppidum, cujus tertia pars jam instaurata est, omnibus modis sublevaretur. Cujus jussu & imperio Senatus populusque, & inter alios Daniel Hinzius COS. omnem eò diligentiam conferunt, ut avertendi incendii causâ
im-

imposterum ædificia ad exactiorem architectu-
ræ regulam extruantur, & itinera urbis plateæ.
que multò ampliores reddantur, & arte atque
usu omnia magis magisque excolantur.

Accessio I. ad §. XXI.

ANno Dominici Natalis inferioris numeri decimò septimò
post mille & quingentos annos, præsens opus fidò labore
est extructum ac elaboratum, regnantibus sanctissimò Pa-
tre Leone, divinâ gratiâ, Papâ decimò, Imperatore Invictis-
simo Maximiliano, & Principe nostro, Duce Stetinensi Bugis-
lâo, & Martino Episcopo Caminensi.

Consulibus hujus oppidi, Deitlaff Bogatzken: Paul Gla-
senapp: Hans Ganzels: Camerariis, Reimar de VVoldis, Jo-
chim VVoperffnovv, Otto Jans. Rectore Ecclesie Mareschal-
lo, Domino Nicolaò Flemmingio, Rectore Lectorii Petro Sell-
ken, Rempublicam bene gubernantibus. Summitas turris
est exacta anno, quò suprâ, die octavo Visitationis inteme-
rata Virginis Mariae, in cujus honorem Basilica hac erecta,
fundata & extructa, quam, misericors Tu DEUS Altissime,
ob honorem Tuae castissime Matris protegere digneris ab o-
mni impetu, tempestate fulminis & tonitrui, ut laus tua &
matris Tuae in perenni laude habeatur.

A. 1517.

Titulus triumphalis Salvatoris nostri defendat nos ab omnibus malis.
Jesus Nazareus Rex Judæorum.

Acces-

Accessio II. ad eundem §. ex verbis ta-
bulæ plumbeæ inscriptis.

HÆc turris coepta est edificari circa festum Jobannis
Baptistæ anni 1562. erecta verò ipsi die Mariæ Mag-
dalene, & aliquot sequentibus. Sub Imperatore Romanò
Ferdinandò, ejus nominis primo. Ducibus nostris Pome-
ranis. D. Barnimo & Ejus ex fratre Pronepotibus D. Jo-
anne Friderico Episcopo Caminensi, D. Bugslao, D. Ernesto
Ludovico. D. Barnimo Juniore & D. Casimirò, quos omnes
pios Principes velit servare diu incolumes Deus omnipo-
tens.

Consulibus verò hujus Civitatis: Paulo Hintzken, Ja-
cobo Schmolcken, & Dionysio Glasenappen, Camerariis:
Jochim Schütten, Paulo Smolcken & Paulo Cassuben.
Gubernatoribus hujus Ecclesiæ, Antoniò Vossen, & ejus col-
lega D. Jacobo Meyer. Reçtoribus Scholæ Christiano Miltzan,
& ejus Collegâ Jacobo Scheven. Procuratoribus templi, Jo-
chim Gudejabr, Paul Bogatzke. Paul Voss. & Jochim,
Prütze.

Architecti hujus turris fuerunt pater & filius, Ja-
cob & Bartholomæus Garbelyn, cognominati, Anno
Domini, ut suprâ videlicet millesimo, quingentesi-
mo, sexagesimo secundo.

Fiat pax in virtute tuâ & abundantia in turribus tuis.

Oremus:

Da pacem, Domine, in diebus nostris, quia
non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu, DE-
US noster.

Defensor noster aspice, insidiantes repri-
me,

me, gubernatus famulos, quos sanguine mercatus es.

Gregem tuum quaesumus Domine pastor bone, placatus intende, & oves, quas pretioso sanguine tuo in cruce redemisti, Diabolicam Turcicamque non sinas incurfione lacerari, qui cum Patre & Sancto Spiritu vivis & regnas Deus, in secula seculorum Amen.

*Scripsit haec Antonius Voss, Pastor hujus Ecclesiae
sexto die mensis Augusti.*

Serva nos Domine vigilantes, & custodi nos dormientes ut vigilemus in Christo & requiescamus in pace. Amen.

Confectaria I.

Hic ævi nondum emendati speciem exemplarque cernimus, & factam Cleri, & stylum ritumque dedicandi simul notamus.

II. Maximiliani I. & Leonis X. elogium, titulum, collocationisque ordinem observamus.

III. Mutato sacrorum imperio, & jurisdictione Ecclesiasticâ, pace religionis suspensâ, styli scripturaeque pragmaticae diversitatem consideramus.

IV. Turcica incurfio cum Diabolicâ conjungitur & comparatur, non tantum ob periculum belli Turcici, quod a Pomeraniæ finibus adhuc remotius erat, sed etiam ideò, quod prætextu collationum Turcicarum Legatus sa-

E cræ

cræ sedis pecuniam in finitimis tractibus, & præsertim in vicino Septentrione corradebat, *Pomarius in Epitome ad an. 1561.* Unde *synchronismus* liqvet. V. Belgardiæ arx, quæ extra urbis pomœria est, cum agro circumjacente, & præfectura est portio insignis Ducatus Sedinensis, & unâ cum aliis satrapiis atqve urbibus, pace Vestphalicâ non detractis & cessis, ditione Brandenburgicâ continetur. Ultraque situ & pulchro prospectu, qui latè patet ad fundos & prata, vicinumqve montem, positis Königsmarckii castris celebratum: nec minorem amœnitatem conciliat Perstante annis.

V. Assignata est recipiendis collationibus, quæ præfecturæ Belgardiensi imperantur, *Legestadt* vocant.

VI. Posita est sub *lat.* 53. 49. & *long.* 40. 30.



HUMANISSIMO JUVENI,

MARTINO BEILFUSIO,

patrias origines

perqvirenti

S. D.

P R Æ S E S.

NUnciam vetustatis historiam, omnibus in vita expetendam esse judico, non modò quòd vitæ fortunæqve vicissitudines monstrat, sed etiam quia lenatores juxta & cives instruit,
ma-

majorumque facta complectitur, & instituta veterum recenset. Quod studii genus tibi displicere non potest, etiamsi cogitationes ad diviniora conferas, a quibus hæc ornamenta sejungungi non debent, ne cum barbaris, & exemplorum ignaris, quodam ignorantiae certamine contendere videamur. Operæ ergo pretium est, excutere patrias origines, & circumspicere justum laudis pretium, quod prudenter & rectè facis, BEILFUSI, & de urbe, quæ nascentem excepit, pulchrè meâ quidem opinione, nunc mereris. Illud autem evenire tibi feliciter cupio, & conditionem nova accessione laudis fortunari spero, animumque doctrina & usu exercenti gratulor, & propensâ voluntate opto simul ac voveo, ut quamprimum soli natalis felicitate, & insigni pariter honoris gradu potiare.

Alma Parens varias BELGARDIA passa ruinas,
Salve, vix prisco conspicienda situ!
Cœlitus heu quoties sensisti Numinis iras,
Quod tamen haut falsâ religione colis!
Turris enim, ornamentum ingens, altissima visu,
Sævo (quod meminî) fulmine tacta fuit.

Tur.

AK Th 3355


Turris & excipiunt incendia bina ruinam,
Quæ exusta jacent curia, templa, domus.
Qvis non hæc meditans suspiria duceret alta,
Et mecum mœstis ora rigaret aquis?
Sed veluti reparat, seque ipsa reseminat ales,
Longævus Phœnix, unica semper avis:
Numine placato BELGARDIA clara resurgens
Sic nova stas iterum, quæ cinis ater eras.
Et veluti vitis laxato frigore gemmas,
Prægnantiqve novas fronde minatur opes:
Sic etiam emittis natos BELGARDIA nutrix,
Et tradis studiis pignora chara sacris.
Hoc probat exemplo noster BEYLFUSSIUS, alma
Artibus erudiit quem Witeberga bonis:
Dum gentis patriæ, nec non BELGARDIA clara
Nomen ab interitu vindicat arte tuum.
Gratulor hinc PATRIÆ vernanti, gratulor ausis
Pectore sincero DULCIS AMICE tuis.

*Sic erudita conamina Humaniss. nec non Doctiss.
Dn. Respondentis, Affinis & amici sui optimi,
adeoque charissimi gratulabundâ
prosequitur manu*

Georgius Christianus Bornenthin /
Belgardiâ Pom. Poët. Laur. Cæs. Scholæ
Fido Brizensis Conrector.

In signem Patriæ confers bone Civis honorem,
Natales ejus non sine laude probas.
Nil dubites illam tantæ memorem fore laudis
Ingenuo Civi, præmia larga feret.

Præstantissimo Dn Respondenti
festinante calamo scrib.
M. CHRISTOPH. HAKEN.
Colb. Pom.



ULB Halle
001 971 255
3

VD 17





R.K.
400
32.

BE
P
CON
SO



M

T

RICA

DIA
UM,

MUELE
CHIO,

eilfuß /

IV.



em. Typogr.

2-10

